



# MELISSA

EUROPAEA FOLIA SEXIES IN ANNO LATINE EDITA

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan - B-1040 BRUXELLIS. Tel. (02) 735 04 08. Telecop. (02) 735 51 32

Editor responsalis: Gaius LICOPPE - Compositrix: Francisca DERAEDT - guy.licoppe@pophost.eunet.be

Bureau de dépôt: 1040 Bruxelles 4 - Afgifte kantoor: 1040 Brussel 4

*Ecce vernum tempus ! Ecce Melissa nova !*

... Rectores Europae miras habent sollicitudines ...

☞ p. 2

... De origine mundi, de Deo et de scientia praeteritis fasciculis multum actum est; ecce de hac re, ad disputationem concludendam, sententia ecclesiastici.

☞ p. 3

... Quis vestrum habet telephonum gestabile ? Vel potius ... quis non habet ?

☞ p. 5

... Vos, qui philosophiam colitis, scitisne Kantii opera (omnia! ab uno!) esse Latine redditia ?

☞ p. 6

... Ab oblivione vindicatur Baldinus Cabillavins.

☞ p. 9

... Videatis, qui sit effectus vivae institutionis Latinae.

☞ p. 12

... Magistri, ecce nova symbola de moribus antiquis , qua de servitute agitur.

☞ p. 13

... Verno tempore non solum natura florescit, sed etiam bibliotheca Latina !

☞ p. 14

... Denique, ut solet, ecce index proximorum conventuum Latinorum.

☞ p. 16



# FABULA MODERNA

RELATA A IOHANNE VAN KASTEEL

**D**ie nono mensis Martii meis cum discipulis ii ad invisendum illud novum aedificium Bruxellis exstructum ubi non pridem Parliamentum Europaeum convenire solet. Aderant multi quoque discipuli ex aliis scholis Belgicis advecti.

In prima parte huius lustrationis dux nobis locutus est de nummo quo mox totius Europae communi omnes utemur, cui nomen (barbarus, ut mihi videtur) *euro*.

In parte altera alter dux nobis explanavit quomodo congregati parlamentarii in hoc aedificio disputare solerent. Imprimis narravit, etiam atque etiam, impendia esse re vera maxima ad interpretes remunerandos quibus omnia omnibus fere dicta linguis Europaeis vertenda essent.

Occasione denique data interrogandi, abstinere non potui - lectoribus Melissae non mirabile creditu - quin a duce nostro quaererem cur lingua Latina non initio accepta esset ad usum parlamentariorum communem. Mihi ille comiter respondit: talem rem, si adhiberetur, nimis affectus eorum *nationales*, quos dixit, offensuram fuisse; immo, ut res *democraticae* valerent, magni esse momenti, quamvis plurimi constaret, omnibus parlamentariis licere suis ipsorum uti linguis.

Petere postea ab eo ausus non sum cur, ne res *democraticae* amitterentur neve affectus omnium

*Anno 1995, cum nomen illius nummi esset eligendum (inter conventum Matritensem), pleraeque nationes noluerunt accipere nomen scuti, quod «écu» esset nomen veteris nummi Francogallici. Nonnulli Germani etiam iocose dixerunt hoc nomen simile esse verbo Theodisco «Kuh», quod pertinet ad vaccam designandam. Nunc Francogalli rident, quia, ut animadvertisit academicus Iohannes Dutour, propter verbum denique electum Francogallis in mentem venit sonus incongruus emissus e stomacho eius, qui nimis multa comedit; nam «l'euro» jere simili modo sonat ac «le rot»...*

nationales offenderentur, mox nobis licitum non esset adhuc francis, florenis, marcis ceterisque uti...

Hoc est signum o! temporum o! morumque. Res absurdissimae necnon sumptuosissimae laudibus efferuntur, non quia re vera optimae atque efficacissimae aestimentur, sed quia nomine, quasi vacuo sensu, *democratico* induuntur.

Sed fabula nondum acta est: in cauda venenum. Nobis ex aedificio exeuntibus datur unicuique nummus e socolata factus atque aurea intectus bractea, cuius altera pars ornata est imagine Europae illius virginis a taurō raptæ, altera pars tabula totius Europæ continentis necnon inscriptione *Latina*: PRAENVNTIVS NVMMI VNIVS EVROPAE.

Eo cum nummo domum redii valde offensus affectibus meis, ut facile intellegitur, et democraticis et nationalibus. ☙



# DE COMMENTATIONE «DE CREATIONE»

A STEPHANO FEYE SCRIPTA

RESPONDET IOHANNES MARIA LECOMTE S.I.



**H**aec commentatio (cfr Melissam n. 81 p. 4) aequivocitate quadam laborare mihi videtur. **Religionis proprium obiectum est Deus.** Qui cum sit spiritus infinitus aeternus increatus ab homine corporali finito temporali creato proprie nec attingi nec intelligi potest.

Nostra christiana religio fundamentum habet Sacram Scripturam, quae est Divina Revelatio: nempe Deus ipse hominibus sese revelat, seu cognoscendum sciendumque manifestat humana utens loquela. Qui divino-humanus sermo non uno tempore totus est scriptus, sed progressivus appetit, in quantum Deus, qui paedagogum sese praebet, totam suam veritatem coniuncte cognoscendam non docet, at pedetentim secundum mentem et captum hominum diversis aetatibus viventium. Unde nobis ad intellegendum duplex difficultas habitat, nempe ut homines divina intellegant, et ut hodierni homines veterum loquelam mente concipient.

In Revelatione Deus sese concipiendum perhibet tamquam Creatorem, tamquam Deum unicum, praeter plurimos gentium deos, tamquam Dominus dominantium, cui soli honor cultus oboedientia debetur, qui malum punit, bonum autem remuneratur. Dein cum, decursu temporum, hominum captus subtilior factus est, tamquam Patrem sese praebet Deus, qui filios suos diligit, «ex quo omnis paternitas in caelo et in terra nominatur». Demum Deus Pater suum unicum Filium, sibi consubstantialem, in terram inhumanatum mittit, qui, factus homo inter homines versans, Patrem inter et fratres suos

novam consuetudinem et familiaritatem instaurat.

**Haec est scientia Dei** vera, spiritualis, quae quodam modo experimento sensuque, non autem materiali at spirituali, attingi potest. Familiares Dei, quos Sanctos vocamus, de hac re sunt testes.

**Quae Dei scientia ab mera humana scientia,** quae humano intellectu et perquisitione obtinetur, **sedulo est distinguenda.** Alius enim est ordinis.

Quae scientia humana contradicitne scientiae divinae? Nullo modo, cum in Scriptura sic legatur: *Et creavit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creavit illum, masculum et feminam creavit eos, et ait crescere et multiplicamini et replete terram et subicie eam, et dominamini piscibus maris et volatilibus caeli et universis animantibus quae moventur super terram.* (Gen. 1.27-28). Unde concludi potest Deum dominationem curamque terrae homini dedisse, praeter unam exceptam ne *de ligno scientiae boni et mali comedenter* (Gen. 2.17), id est quod bonum est et malum homini non licet sibi ipsi statuere, sed de ea re Deus semper manet interrogandus. Qui textus omnem perquisitionem scientificam iustum facit, termino tamen ei assignato congrue servato.

Quod studium rerum a Deo creatarum cognoscendarum, pervestigationes in eis et experimenta scientiam humanam constituunt, iustum fructum hominis intellectus, qui ipse ut divini intellectus imago seu expressio recte habetur, cum in Scriptura sic legitur: *faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.* Unde nulla deberet esse contentio inter divinam et humanam scientiam.

Attamen, contentio saepe esse videtur. Qua de causa? Inter divinam scientiam et humanam, controversia quoties surgit, toties confusio habetur inter earum proprios ordines formales, sive quod Ecclesiae fideles e Scriptura non congrue intellecta argumenta colligere contendunt in rebus ad partem scientificam pertinentibus, sive quod ipsi scientifici ex deprehensionibus suis rapide et falso concludunt Scripturam, eo quod res aliter exponit, errare seu mentiri. Verbi gratia, in narratione creationis hominis a Deo factae, nodus doctrinae est quod homo a Deo est creatus. Deo vero nullo modo difficilius est hominem de limo terrae fingere, ut fabulose refert Scriptura, loquela sequens hominum antiqui temporis, quam anima spirituali quoddam animal donare, quod effectus appetet esse diutinae evolutionis.

His dictis, ad sodalis nostri Stephani commentationem reveniamus. Ut quidem sentio, nimis haeret in dissensionibus inter Ecclesiam et scientificos homines, nullo modo conatur intelligere cur saepe scientiae dictis haud facile consenserit Ecclesia. Ut vero opinari videtur, culpa penes eam est semper.

Assertum est Ecclesiam «olim omnipotentem fuisse», sed «a nonnullis saeculis cogi invitam regredi ob progressus magis magisque triumphantes scientiae modernae». Quae assertio sic dicta non placet. Quae est enim illa «omnipotentia» Ecclesiae, nisi fidei vigor, quam illius temporis Christi fideles supra omnem scientiam contendebant ponere, ne Deum viderentur deserere. Differentia inter utramque scientiam, ut eam ostendi, tunc clare non percipiebatur, scientifici autem homines, de inventis suis facti superbi, saepius videbantur gaudere, quod Scripturae doctrinam translaticiam mendacio possent arguere. At nunc in mentibus plurimorum fides ita debilitata est, ut de huius modi dissensione paene iam quaestio non sit, primas partes scientia humana habente, contempta autem Dei Ecclesiaeque opinione.

«Fides quae est?» interrogat auctor, seu quid est fides? Et responsum dicit tale esse solere: «Fides est fides, fides non interrogat, fides credit...» Quod nullum est responsum, quoniam solum in re religiosa rudes sic respondere solent. **Fides re vera est adhaesio, non intellectus tantum sed et amoris, non tantum «doctrinae» cuidam sed personae, nempe Deo et Filio eius Iesu Christo, hominum Salvatori, qui eos in Euangelio suo docet quomodo in amore et consuetudine Dei Patris vivere possint.** Iterum insisto: non doctrinae proprie creditur, sed cuidam docenti. Quae cum Deo familiaritas eis qui vere fideles sunt

ita aestimatur ut eam inconsulte turbari sinere non possint. Reverentiae ergo causa, scientifici homines suas inventiones proponere debent absque indebita contentione. In suis maneant, nec consecatoria colligant in agro qui ad eos non pertinet. Ut supra ostendi, bona voluntatis hominibus nulla potest esse rixa, quia omnis Veritas ex Deo est. Si dissensio esse videtur, suspicio tantum est seu quaedam species repugnantiae, quae ex rebus nondum optime perceptis provenit. In Deo contradicatio nulla esse potest, neque vero in humano intellectu, dummodo ratio habeatur cohaerentiae discursui necessariae uniuscuiusque mentis, ad veritatem obtinendam intendentis, caveaturque ne progrediatur ultra proposita seu «praemissa» quae propria sunt utrique scientificae methodo.

Iterum, in textu Stephani sic lego: «religio olim scientiam veram possidebat. Sicut omnis scientia, illa habet principia sua, finem suum. Habet hypothesis suam. Quae hypothesis probanda est, confirmanda est experientia....» Revera, hoc assertum non intellego. Quae est illa scientia religione olim possessa, nunc autem perdita? Unica scientia quam religio profitetur, illa Dei est, tum intellectu tum amore possidendi, in quantum vero talis possessio humanis viribus possibilis est. Scientificis non licet de scientia Dei agere sicut de rebus profanis. Eiusdem ordinis non est utraque scientia. Iterum, quae est illa hypothesis religiosae veritatis experientia confirmanda? Etsi homo circa problema religionis naturaliter prorsus indifferens non est, existentia tamen Dei rationaliter plene non probatur, at in anima sincere quaerentis mystice sentitur. Amor patris, tum in terrestribus tum a fortiori in caelestibus, non est hypothesis seu praemissum propositum experientia investigantis probandum, ita ut quaedam fiat veritas sensibus humanis quasi tractabilis, vivitur autem et percipitur in intimo animo, dummodo verus Pater habeatur et verus filius. De hac re testes sunt Sancti.

Religiousam veritatem ab Ecclesia propositam cum tractet auctor tamquam mere profanam, errat quidem, et de religione Dei deque doctrina Ecclesiae, ab Eo fundatae ut Deum homines nomini suo doceret, quasi comicam tantum tabellam proponit, a veritate prorsus alienam. Unde scientia moderna pacifice exponatur, absque ulla religiosae doctrinae gratuita expugnatione.



# DE TELEPHONIS MOBILIBUS

SCRIPSIT ERICUS PALMÉN

**N**uper in quodam periodico aenigma vidi his fere verbis compositum: Quidnam est, ad quod agendum homines olim in cellulam separatam recedere solebant, ut sine testibus soli res suas curarent, hodie vero moribus mutatis idem sine pudore palam ubivis agere possunt?

Perfecto aenigmate mihi primum in mentem venit zonae pedestris media urbe Granivico sitae, ubi praesertim vespertinis horis dierum Veneris moderni adulescentuli magna multitudine congregari solent ad finem septimanae hilariter celebrandum et ad cervisiam bibendam; haud raro enim accidit, ut illi ventribus suis cervisia oneratis paulo post continere se nequeant, quin in via publica contrariae necessitati satisfaciant, fortasse obliti quaedam per se naturalia, ne turpia sint, occulte fieri debere.

Mox tamen apparuit me aenigma non recte solvisse. In ultima enim pagina eiusdem periodici verum inveni responsum: non de tali necessitate naturali agi, sed de telephono mobili adhibendo.

Recentissimis annis hoc passim in consuetudinem venit; cellularum autem telephoniarum urbanarum usus minutus est. Hodie in via publica saepe homini occurras, qui procedens telephono suo ad aurem admoto in soliloquium videtur immersus esse, revera autem apparatu suo cum aliquo colloquitur. Itidem in tramine aut laophoro sedens pro itineris comite habere poteris aliquem, qui varios suos telephonice adit, quo dulcius aut utilius tempus suum consumat, atque cum iis nequaquam submissa voce colloquens te et ceteros, qui adsunt, invitos et suarum et alienarum rerum peritissimos reddit. Quin etiam in ecclesiam quandam aiunt quempiam telephonum mobile secum attulisse atque sacerdote sermonem faciente tria colloquia privata egisse; denique ab ipso sacerdote commonitum esse in ecclesiam non decere nisi ad verbum divinum audiendum venire.

In aeroplanis usus telephonorum mobilium vetitus est, quippe quo opera vigilantium, ut volatus satis tuti sint, difficilior reddatur. Peculiare problema efficit crescens numerus auto-raedariorum inter carrum

vehendum telephono mobili cum amicis suis de rebus omnibus et nonnullis aliis colloquentium. Non abest suspicio, quin illi telephonematis suis dediti et obvias autoraeas observare neglegentes commeatui publico haud minori sint periculo, quam si ebrii vehicula sua gubernent. Ad haec quidam per iocum addidit forte fortuna annis quadragesimis saeculi nostri, quibus Finni in bello gerendo occupati essent, nondum fuisse telephona mobilia in usu omnium; alioquin Finnos graviorem, quam acceperunt, cladem accepturos fuisse, quia singuli milites gregarii uxores et sponsas et amasiunculas suas telephonice appetentes minus efficaciter a sclopetis hostium se protessissent.


Forsitan querat quispiam: «Quid? Nonne nobis, qui telephonum mobile impenso pretio paravimus, licet eo uti, quantumcumque et quacumque ratione ipsi volumus?» Liceat sane, dummodo ne omnia perturbetis neve ignoretis in Suetia investigationem factam esse, quae ostendit eos, qui singulis diebus plus singulas horas telephono mobili colloqui assueverint, periculo obici, ne paullatim carcinomate cerebrali affiantur; qui vero caveant, ne in usu cotidiano telephoni mobilis e.g. denarum minutarum limitem temere excedant neve apparatum suum perpetuo apertum habeant, liberos esse tali periculo. Abusus non tollit usum.

Quantum curarum telephonum mobile afferre posset, mulier quaedam Angla nuper experta est, quae amicam suam ad dies Natalicios secum celebrandos invitaverat atque tali apparatu donare statuerat.

Quae postquam cum cane suo domum eius advenit, telephonum mobile, quod chartis involutum sub ramis abietis Nataliciae positum erat, miro quodam pacto evanuit. Desperantes amicae frustra omnia loca eruerunt, ut donum pretiosum reperirent. Tandem intellexerunt, quid optimum factu esset: quae donum comparaverat, societatem telephoniam adiit et interrogavit, qui esset numerus telephoni mobilis a se paulo prius empti; eoque cognito suum telephonum adhibuit et - mirabile dictu! - auribus arrectis exiguum



tinnitus e ventre canis exeuntem audivit. Ille enim feminis inopinantibus telephonum invenerat et clam devoraverat - utrum cum chartis involutoriis an his detractis, parum constat. Cum feminae anxiae canem ad veterinarium detulissent et multis cum lacrimis quaequivissent, num ille miser e mortis periculo evasurus esset, hic: «Ne desperaveritis, inquit, «puellae! Natura ipsa curabit, ut omnia



corpora aliena suo tempore e visceribus eius exeant.» Nec falso ita praedixit: nam viginti quattuor horis post incolumi cane telephonum mobile circuitu quodam naturali peracto salvum foras redit ac paululum purgatum dominae suae felicissimae porrectum est.

## DE VERSIONE OPERUM IMMANUELIS KANT LATINA

SCRIPSIT NICOLAUS GROSS


**V**ersiones saepe parvi penduntur, quasi sint viles opellae psittacorum aut ruminatorum. At si quis umquam tales labores suscepit exanclandos, animadvertiset bonam versionem nequaquam esse vernilem imitationem, sed opus subtile, quod non perficiatur nisi summa cum animi contentione.

Miranda prorsus est versio operum Immanuelis Kant Latina, quam **Fridericus Gottlob Born** annis 1796-98 in lucem edidit. In commentatione, quae spectat ad Europaea opera vernacula Latine reddita, quidam philologus nominis Grant facit fere haec verba: *Intrepidus Bornius suscepit Immanuelis Kantii opera omnia Latine publicanda (Lipsiae 1796-98)*. *Nemo est magister Latine scribendi, qui tantum laborem perpendens murmuraret illis diebus fuisse in mundo gigantes!*<sup>1</sup>. In hac symbola lectoribus primo pandam praefationem interpretis, deinde indicabo ea, quae in quattuor tomis versionis inveniuntur (etiam numeros paginarum stupendos), tum proponam versionem Latinam textus ex opere excerpti, in quo Immanuel Kant agit de libertate et verbis expressit illustrem *imperativum categoricum*<sup>2</sup>. Denique lectoribus offeram ingens illud Kantii enuntiatum, quo dicit de vi religionis.

\*  
\* \*

### 1. AD LECTOREM INTERPRES

Dissolvi tandem nomen, quod annis abhinc octo, et quod excurrit, contraxeram, operumque Kantii philosophiam criticam spectantium volumen primum, quo *Critica rationis simplicis ac genuinae* continetur, coeptum iam tum, sed variis negotiis atque laboribus hucusque interruptum, oratione Latina vestitum exhibui. Reliqua intra anni spatium aliquot voluminibus comprehensa sequentur.



Kantius

Ac primo quidem animus erat, in vertendis his libris rationem habere et Latinitatis purae et orationis popularis, ita, ut, missis verbis technicis quasique privatis, solis uterer vulgi vocabulis ac publicis.

Verum brevi videbam neque ubivis consuli puritati sermonis posse, nisi subinde res ipsa eo quodammodo obscuretur, neque omnia verbis vulgaribus enuntiari; propterea quod in omni arte, cuius usus vulgaris communis non sit, multam novitatem nominum esse oportebit, cum constituantur earum rerum vocabula, quae in quaere arte versentur, de rebusque non pervulgatis verbis utendum inusitatis videatur.

Itaque mutavi consilium satiusque esse duxi, ut, quoad possem et liceret, a genere dicendi puro



disertoque haud recederem, ubi autem verbum Latinum minus occurreret, vel metuendum videretur, ne sententia eo redderetur ambigua atque incerta, aut pluribus idem verbum exposui, aut exprimi verbum e verbo malui. Accessit, quod fere in profligando opere intellegerem philosophum Regiomontanum nonnullis verbis technicis uti ut suis, velut *universitatis*, *omnitudinis* et *similibus*, aliis suo peculiari modo, veluti *notionis*, *conceptus*, *perceptionis*, *universalitatis*, et quae sunt generis eiusdem, quae partim omnino haud bene Latina nec veteribus nota, partim alio ab his sensu accepta viderem; a quibus igitur memet abstinere religio fuit.

Ceterum censores aequi bonique, si, quae forte peccata fuerint, humaniter velint mecum communicare, et magnam ea re a me gratiam inibunt et mihi copiam facient, sin iterum exemplaria typis describenda sint, quae in vitio sunt, emendandi.

Volumen ultimum indice dictionis Kantianae breviter explicatae ornabo.

Scripsi nundinis vernalibus in universitate litterarum Lipsica. a.p.S. CI)CCLXXXVI.

\*  
\* \*

## 2. ARGUMENTA VOLUMINUM

- Volumen primum, cui inest critica rationis purae. 587 pp. Lipsiae 1796.
- Volumen secundum. 555 pp. Lipsiae 1797.
  - I. Prolegomena ad metaphysicam quamque futuram, quae qua scientia poterit prodire
  - II. Elementa metaphysica physices
  - III. Constitutio metaphysics
  - IV. Religio intra terminos solius rationis
- Volumen tertium, cui inest critica rationis practicae. 516 pp. Lipsiae 1797.
- Volumen quartum. 820 pp. Lipsiae 1798.
  - I. Quaestiones philosophiae
  - II. Metaphysica morum

\*  
\* \*

## 3. DE LEGE MORALI

(vol. III, Critica rationis practicae, pars prior, Doctrina elementaris rationis purae practicae. Liber primus: Analytice rationis purae practicae, Caput primum: De decretis rationis purae practicae, § 6 Problema II).

Posito, esse voluntatem liberam, legem invenire, quae sola est ad eam necessario determinandam idonea.

Cum materia legis practicae, id est, res legi subiectivae proposita, non queat nisi empirice offerri, contra voluntas libera, qua condicionibus empiricis (ad mundum sensibile pertinentibus) vacua et nihilominus determinabilis esse debeat; necesse est voluntatem liberam vacuam legis materia, tamen rationem determinantem in lege deprehendere. Atqui praeter legis materiam nihil in ea amplius quam forma legislatoria continetur.

Ergo forma legislatoria, quatenus in materia inest, una potest rationem voluntatis determinandae efficere.

Scholion. Libertas igitur et practica lex absoluta mutuo se invicem remonstrant. Iam hic non quaero, an etiam reapse diversae sint nec potius lex absoluta solum conscientia sui ipsius rationis purae practicae, haec autem prorsus idem sit quod positivus libertatis conceptus, sed unde cognitio nostra absolute practici profiscatur, utrum ab libertate an ab lege practica. A libertate non potest ea profici; eius enim nobis nec proxime concii fieri possumus, quoniam conceptus eius est negativus, nec ad eam ab experientia concludere, siquidem experientia nobis solum legem ministrat phaenomenorum, proinde mechanismum naturae ipsum libertatis contrarium cognoscendum proponit.

Ergo **lex** est **moralis**, cuius nobis proxime concii sumus (simulatque leges voluntatis subiectivas describimus), quae nobis primum se offert, dumque ratio illam, ut rationem determinantem, nulla condicione sensitiva superandam, quin prorsus ea liberam proponit, directo ad conceptum libertatis ducit. Sed quomodo esse potest conscientia legis moralis? Legum practicarum purarum fieri concii possumus, perinde atque nobis concii sumus decretorum purorum theoreticorum, dum ad necessitatem, qua ratio nobis ea dictitat ad separationemque omnium condicionum empiricarum, ad quas illa nos amandat, animum advertimus.

Conceptus voluntatis purae exsistit e legibus puris practicis, quemadmodum conscientia intelligentiae purae ex decretis puris theoreticis: Hanc veram conceptum nostrorum subordinationem esse nobisque moralitate demum libertatis conceptum aperiri, proinde ratione practica primo contemplativae quaestionem inenodabilem in hocce conceptu proponi, quo ea maxime perturbetur ad summamque difficultatem ducatur, iam inde planum est, quod, cum ex conceptu libertatis in phaenomenis nihil queat explicari, sed semper duci debeamus mechanismo naturali, praeterea et antinomia rationis purae, cum ad absolutum cupit in serie causarum ascendere, in uno pariter atque in altero,

incomprehensibilibus implicatur, interea dum mechanismi naturalis saltem usus sit in enodandis phaenomenis, numquam quispiam ausit, libertatem in scientiam introducere, nisi lex moralis simulque ratio practica accessisset nobisque hunc conceptum obtrusisset.

Fac quempiam praetendere se non posse voluptuosae libidini suae resistere, simulatque persona deamata occasioque eius conveniendae sibi fuerint oblatae: an, si patibulum ante domum, in qua eam occasionem offendit, exstructum foret, ut statim percepta voluptate illi adpendatur, tum haud libidinem vinceret? Haud diu, quid responderet, divinandum videtur.

Sed, roges eum, an, si princeps, proposito vitae suppicio, ab eo posceret, ut contra virum probum falsum testimonium ederet, quem sub specioso praetextu cuperet perdi: an tum, quantuscumque amor vitae sibi sit, eum tamen vinci posse putet? Utrum facturus sit necne, fortasse haud ausit asseverare; sed illud possibile esse sine dubitatione illi concedendum erit. Igitur iudicat se aliquid posse, eo quod sibi conscient sit se illud debere et in se libertatem cognoscit, quae illi alias sine lege morali ignota mansisset.

**§ 7 Lex constitutiva rationis purae practicae.  
Sic age, ut lex subiectiva voluntatis tuae semper possit simul qua principium valere legislationis universalis.**

\*  
\* \*

#### 4. TANTUM RELIGIO POTUIT SUADERE MALORUM! (LUCRET. NAT. I 101)

Quomodo mysticis fanaticorum somniis in vita eremita et monachica celebrandaque sanctitate caelibatus, magna hominum multitudo mundo inutilis redderetur, quomodo cum ea re coniuncta miracula putativa populum sub superstitione caeca gravissimis vinculis premerent; quomodo cum hierarchia hominibus liberis sese obtrudente terribilis vox **orthodoxiae** ex ore interpretum scripturae arrogantium sublata audiretur, mundumque christianum de opinionibus fidei credendis (cuius nullo modo potest concentus universalis fieri nisi ratione pura interprete constituta) in partes furiosas dispesceret; quomodo in oriente, ubi civitas ridicule ipsa in fidei statutis sacerdotum occuparetur, cum contra eos intra limites angustos ordinis meri doctorum (ex quo semper sunt propensi transire ad ordinem gubernantem), tenere debuissent, quomodo, inquam, haec civitas tandem hostibus externis, qui tandem eius fidei dominantis finem imposuere, necessario praedae esset, quomodo in occidente, ubi fides proprium suum solium a potestate

mundana liberum fundaret, a vicario dei adrogante ordo civilis una cum litteris (quibus ille conservatur), concuteretur atque infirma redderetur, quomodo utraque pars christiana, instar plantarum et animalium, quae per morbum interitui vicina, vastantes insectas alliciunt, ad eum perficiendum, a barbaris opprimeretur; quomodo in hac posteriori illud caput clericum reges, velut liberos, per virgulam magicam anathematis propositi regeret et castigaret, ad bella eos illam alteram mundi partem hominibus privantia externa (ductus cruciatus), ad se invicem infestandos, ad seditionem subditorum adversus magistratus, ad sanguinolentum odium erga socios unius eiusdemque christianismi aliter sentientes excitaret; quomodo huiusce dissidii, quod etiamnum dumtaxat per rationem politicam a violentis ingenii detinetur, radix in decreta fidei ecclesiasticae despoticē iubentis latet, illarumque scenarum similes metuendas etiamnum facit - haec christianismi historia (quae, quatenus hic in fide historica fundari debebat, etiam non aliter evenire poterat) si eam quasi tabulam sub aspectum subicias, sane posset illud confirmare: **tantum religio potuit suadere malorum!**, nisi ex fundatione illius etiamnunc perspicue eluceret, verum illius consilium primum nullum aliud fuisse, quam ut fides religionis pura, de qua nullae esse partes concertantes possunt, introduceretur, universum autem motum istum, quo genus hominum concuteretur et etiamnunc dissidio disiungitur, solum inde oriri, quod per propensionem pravam naturae humanae, quod initio ad introducendam posteriorem facere debebat, nimirum ut natio veteri fidei historicae assueta per suas ipsius opiniones praeiudicatas in gratiam novae occupetur, sequenti tempore fundamentum religionis mundanae universalis constitueretur.

#### ADNOTATIONES

- 1 originaliter: "... the intrepid F.G. BORN undertook to publish Immanuel Kantii *Opera omnia...* Latine (Leipzig, 1796-98), an achievement which must make any teacher of Latin prose composition murmur that there were giants in the world in those days." p. 151 in: W.L. GRANT, European Vernacular Works in Latin Translation: Studies in the Renaissance, 1(1954), p. 120-156. De hoc loco me certiorem fecit Theodosicus Sacré in epistula postr. Id. Sept. a. 1989 scripta.
- 2 cfr Christianus HELFER, Lexicon Auxiliare (ed. altera), p. 216, s.v. Imperativ, kategorischer - imperativus categoricus (Jos. DZIADOSZ: Immanuelis Kantii doctrina de imperativo categorico exponitur et refutatur, Diss. theol. Wien 1898). ↗



# BALDUINUS CABILLAVIUS

## (1568 - 1652) E S.I. POETA LATINUS (II)

SCRIPSIT THEODORICUS SACRÉ

### II. Specimina poeseos Cabillaviana et epistolae quaedam ad Cabillavium datae

#### 1. Ex *Epigrammatis Selectis* (Antwerpiae, 1620)

##### 1. Ad rosam votum [p. 77]

Vive, precor, diu, veris honos et ruris ocellus;  
diu tibi nativa tinge latus trabea.  
Fata vetant; sors laeta parum, mors invida falcem  
nascenti apposuit: vix sata, es apta meti.

- Vv. 1 et 2: diu: synaeresi contractae sunt vocales.

##### 2. Nil nostrum in vita [p. 74]

Cras anceps, hodie fugit; hoc quod vixeris olim  
crede tuum; tutum non nisi tempus heri est.  
Vis id nulla rapit. Vita an sine munere munus?  
Improba vult tantum quod fuit esse tuum.

##### 3. Tumultus e vino [p. 67]

Est ego quod mirer: vis cur tam turbida Baccho?  
Id docet uva parens: tota modesta rubet!

##### 4. Quaestio ad ebrium [pp. 67-68]

Insano ut Bacchi thyrsus te perculit oestro,  
claudicat ingenium, mens fugit uda mero,  
balba natat vox, ossa tremor quatit, excidis amens.  
An saeclum una dies? Te facit hora senem.

- Vv. 2-5: cfr. *Lucr. 3, 451-454*: Post ubi iam validis  
quassatum est viribus aevi/ corpus et obtusis  
ceciderunt viribus artus,/ claudicat ingenium,  
delirat lingua, labat mens,/ omnia deficiunt atque  
uno tempore desunt.

##### 5. Cur vitis flexuosa [pp. 66-67]

Anguipedi e trunko, anguigero pede concolor angui  
anguineum palmes serpit et errat iter.  
Nec frustra. Anguigena sub imagine ludit Iacchus,  
cui circo anguicomodo vina venena serunt.

- V. 1: anguigero: hoc nomen compositum (quod idem  
significat atque anguifer) apud antiquos non legitur.

##### 6. Aranea: cura inanis [p. 61]

Apta capi ingentes meditatur aranea telas,  
quo sibi magnus emat pabula parca labor.  
Usque adeo viles in curas prodigit aevum:  
nil ut agat textrix sedula semper agit.

##### 7. Senex garrulus [p. 56]

Mirer an indignar? Quem vinxit tarda senectus,  
praecipiti volvit concita verba pede.  
Numquid eo ruptis vis currat lingua catenis,  
quo vetat ire pigros clauda senecta pedes?

##### 8. Senex vitae inhians [pp. 54-55]

Plurima luna rotas iam fregit et ostia spectas  
inque caput leti candida ningit hiems.  
Et tibi adhuc seros «cras cras» spes crocit annos'  
Vin' fieri corvus qui modo cycnus eras?

- V. 3: crocitat: producta est prima syllaba.

##### 9. Vestis pellucens [p. 47]

Vis latus infido prodat toga vitrea textu  
et pretio insano textile frigus emis.  
Risimus. Et cur non? Rarum si stamen honori,  
indue Arachneas retia rara plagas!

- Arachneus: qui ad Arachnen pertinet.

##### 10. Iusto Lipsio epitaphium [pp. 41-42]

Quis lapis hic? - Bustum. - Quae circum pompa?  
- Camenae.-  
Quae gemit hic?- Pietas. - Quae comes? -  
Orba Fides.-  
Quae pyra et unde? - Rogo it sophiae peritura  
supellex.-  
Quid legit urna?- Nihil: sidera Iustus adit.

11. In Lipsii Admiranda [p. 28]

Erue semirutas alto de pulvere turre,  
Roma, tibi Iusto vindice surget honos.  
Te tumulo attollet maior pater iste Quirino:  
te nasci hic iussit, te vetat ille mori.

- *Iusti Lipsii Admiranda sive de magnitudine Romana libri IV primum prodierunt Antverpiae anno 1598.*

12. Abrahamo Ortelio epitaphium [p. 41]

Hic situs Ortelius. Busti me fallit imago:  
qui iacet hic umbrae vix levis umbra suae;  
vin' nosse Ortelium? Mundi decurre theatrum:  
quantum opus est orbis, tantus et ille vir est.

- *Abraham Ortelius Antverpianus (1527-1598) anno 1570 Antverpiae edidit Theatrum orbis terrarum.*

13. Puer extinctus [p. 38]

Depuber viridi florebat vere iuventus;  
mors ferit, illa cadit, testula curta tegit.  
Cur premis ah saxo? Condi sub melle liquenti  
debut ille favo, flos cui vita fuit.

- V. 1: *depuber*: i.e. *depubes* («qui ad pubertatis annos non potuit pervenire»).

14. Mors pueri [p. 22]

Belle puer, vultus pura cui purior unda,  
tam cito te cunis Parca maligna rapit?  
Non leti id livor, sed blandi crimen amoris:  
pulchellum puerum foeda procatur anus.

15. P. Vergilius Maro [p. 29]

Qua non te, Publi, Famae tuba publicat orbi?  
Publica nonne tuus bibliotheca liber?  
Sunt et Vergiliae. Tu sidere pulchrior omni,  
Vergili, et eloquii tu mare dulce, Maro.

- V.3: *Vergiliae* = *Pleiades*.

16. In Vesalii obitum [p. 28]

Qui medico in regno vitam inter et omina leti  
herbipotente regit aurea scepta manu,  
raptus abit, falx unca rapit, falx invida terris:  
vivo Vesalio mors timet ipsa mori.

- *Carminis huius nulla facta est mentio a M. Roth, Andreas Vesalius Bruxellensis (Berolini, 1892 = Amstelodami, 1965), pp. 440-445 («Vesal in Gedichten (bis 1640)». Vesalius Bruxellensis (1514-1564) inde ab anno 1544 medicus erat Caesareus (id est Caroli V imperatoris).*

- V.2: *regit*: posterior syllaba producta in arsi.

17. Ad Siciliam [p. 14]


Siceli diva, duos dic uno in vertice montes:  
«Candidat Enna rosis et rubet Aetna rogis».

- V. 2: *Enna* = *Henna*.

18. Nox serena in aquis apparens [p. 3]

Irradiat aureis tranquilla per aequora taedis  
et stellat vitreis astrifer orbis aquis.  
An caelum in pelagus descendit? An arte Promethei  
Nereus ingenuo surripit astra dolo?

- V. 1: *irradiat*: ultima syllaba producta in arsi;  
*aureis*: vox synaeresi in duas contracta syllabas.



**2. Epistolae ad Cabillavium datae**

1. M. Vitelleschi, Praepositi Generalis S.I. [Roma], ad P. Balduinum Cabillavium, 26 X 1624 [Bruxellam<sup>1</sup>] (inedita; servatur Romae in archivio Societatis Iesu, Fl.-Belg. 4, p. 588)

Cum non solum ii Patres qui iussu Patris Provincialis<sup>2</sup> poemata Reverentiae Vestra legerunt quae typis excudi cupit, censeant ea talia esse quae

cum non minore Societatis quam Reverentiae Vestrae commendatione in lucem prodire possint, sed illa etiam, quae adhuc a Reverentia Vestra edita

sunt<sup>3</sup>, spem faciant ex eo fonte ex quo ipsa prodierunt haec non deterioris venae prodiisse, scribo hodie ad Patrem Provincialem ut Reverentiae Vestrae facultatem concedat illa quae iam a censoribus lecta probataque sunt in lucem edendi. Cetera, quae adhuc affecta habet, pergit perficere et expolire, praesertim quae ad laudem Reipublicae

Venetae et Sanctissimos Nostros Patres pertinent<sup>4</sup>. Fortasse enim in illis aliqua erunt quae praeter commendationem et plausum aliquid amplius efficiant. Det Reverentiae Vestrae constantem valetudinem divina maiestas eamque gratiae suae opibus cumulet. Atque hisce me sanctissimis etc.<sup>5</sup> Romae 26 Octobris 1624.

2. M. Vitelleschi, Praepositus Generalis S.I.[Roma], ad P. Balduinum Cabillavium, 19 IV 1625 [Casletum] (inedita; servatur Romae in archivio Societatis Iesu, Fl.-Belg. 4, p. 656)

Commendabuntur a me serio Patri Provinciali quae Reverentia Vestra in Collegii istius<sup>6</sup> gubernatione melius geri posse existimat; speroque futurum ut cito experiatur monitionem suam bono familiae profuisse; quare pro ea Reverentiae Vestrae gratias ago et optimi zeli sui copiosam mercedem a Domino precor. Quod attinet ad poemata Reverentiae Vestrae, quorum indicem litteris suis inseruerat<sup>7</sup>, valde recreatus fui tam ubere multiplicique argumenti varietate. Quam cum a Reverentia Vestra non minus feliciter quam quae adhuc in lucem protulit<sup>8</sup> tractatam putem, cum desiderio

exspecto ut illa etiam in publicum producta videam. Si Reverentia Vestra ad hoc faciendum aut commodiorem habitationem aut alia aliqua auxilia requirat, indicet hoc mihi: conabor enim efficere ut quantum fieri poterit commoditati et consolationi Vestrae Reverentiae serviatur. Et cum aliud non sit quod hisce addam, servet precor Reverentiam Vestram in suo servitio incolumem divina bonitas, cui etiam meas curas sanctissimis suis sacrificiis et orationibus commendari desidero. Romae 19 Aprilis 1625.

## ADNOTATIONES

- 1 Quid Bruxellae tunc egerit Cabillavius nescimus; constat enim e catalogis S.J. annuis eum anno academico 1624-1625 in Casletano vixisse collegio.
- 2 Florentii Montmorencii e S.I.
- 3 I.e. *Lemmata novo-antiqua pancarpia* (...) (Ipris Flandrorum, 1614, suppresso auctoris nomine); *Epigrammata selecta* (Antverpiae, 1620).
- 4 Cfr. «Index operum vincta et soluta oratione R.P. Balduini Cabillavii quae iam absoluta A° 1625», qui servatur m.s. in Museo Plantiniano Antverpiensi (cod. Arch. 78, pp. 5-8). In eis operibus vel paene vel omnino absolutis memoratur p. 6 inter «profana»: «Leo Venetus in quo nihil contra Hispanos vel Genuenses. Ad

Sereniss. Rempub. Venetam»; item p. 8: «Vita S. Patris Ignatii, Xaverii, Aloysii, Stanislai et aliorum virorum illustrium Societatis. Ad admmodum Reverendum P.N. Mutium Vitellescum Societatis Jesu Praepositum Generalem».

- 5 I.e. «suis sacrificiis et orationibus commendo» vel simile aliquid.
- 6 I.e. Casletani (in quo ille consultoris munere saepe est functus)
- 7 Cfr. adnotatio IV.
- 8 Cfr. adnotatio III. Ceterum eo ipso tempore Magdalena Cabillaviana sub prelo Plantiniano haerebat. ↗

**ERRATUM** - In Melissae fasciculo 82 p. 6 adn. 6 legendum fuit: «Vav illud sexta littera alphabeti Hebraici...»

# EFFECTUS VIVAE INSTITUTIONIS

RELATUS A THOMA PEKKANEN

**M**elissae salutem! Suvi Randén est puella scholaris septendecim annorum, quae in Lyceo Normali Helsinkensi unum annum et dimidium Latine studuit. Eo temporis spatio, cum magistra illam viva et moderna methodo docuerit, tam bene Latinam linguam didicit, ut iam textus longiores bono stilo et emendate componere valeat. Itaque vobis mittimus illius "De vita Cleopatrae" textum. Poterit esse exemplum, ex quo pateat Latinam linguam brevi tempore addisci, dummodo discipulus/a mature ad usum vivum inducatur.

\*  
\* \*

**DE VITA CLEOPATRAE**  
**scripsit Suvi Randén Helsinkiensis**

"Si nasus Cleopatrae brevior fuisset, fortuna orbis terrarum diversa esset."  
(Pascal)

Cleopatra, pulchritudine nota regina Aegypto, celeberrima femina antiqua certe est. Haec regina, anno a.Chr.n. LXIX nata filia regis Ptolemaei XI, ultima regina aetatis regum Graecorum in Aegypto erat. Suavis Cleopatra ingeniosa quoque fuisse scitur; exempli gratia multis linguis loquebatur, etiam lingua vulgi Aegypti. Praeterea disputatrix perita erat et vocem canoram habebat; itaque Siren Nili appellabatur. Quamquam Cleopatra luxuriam et vitam curis vacuam amabat, equo vehi et venari solebat atque etiam proelia ei placebant.

Post mortem patris Cleopatra una cum fratre, cui nomen erat Ptolemaeus XII Dionysius, regnabat. Quia Romanis favere censebatur, anno a.Chr.n. L potestate expulsa est. Cum C. Iulius Caesar, dictator Romanus futurus, duobus annis post Alexandriam advenisset, Cleopatra eum illexit, ut regnum reciperet. Brevi Caesar Cleopatram adamavit et illa propositum suum impetravit; sequenti anno Caesare auxiliante regina denuo facta est.

Deinde Caesar et Cleopatra nave luxuriosa Cleopatrae in Nilo navigabant, at mox Caesar

Romam revertit. Non multo post Cleopatra peperit filium, qui Caesarion appellabatur. Anno a.Chr. n. XLVI Cleopatra cum filio ad Caesarem exiit, ut fidem indicaret. Romae Caesar hospitibus regiam splendidissimam donavit et statuam auream Cleopatrae in templo Veneris genetricis struxit. Cleopatra autem Romanis non placebat; quia Caesar iam uxorem Romanam, Calpurniam habebat, Romani Cleopatram reginam meretricem appellabant.

Tribus annis post mortem Caesaris Cleopatra et filius in Aegyptum reverterunt. Illo anno Cleopatra invenit M. Antonium, triumvirum et ducem provinciarum Romanarum orientalium, qui statim amore Cleopatrae incensus est. Paulisper vita laeta gaudebant. Diebus illis Cleopatra, ut Plinius maior narrat, margaritas pretiosissimas in auribus habebat. Quondam Antonio monstrare voluit se centies centena milia sestertiorum in cena consumere posse: margaritam aceto liquefecit et illum liquorem babit. Mox Antonius tamen ex Aegypto exire debuit atque Octaviam, sororem triumviri Octaviani, Romae uxorem duxit.

Antonius tres annos cum Octavia vixit, at anno a. Chr. n. XXXVII eam deseruit atque Cleopatram Antiochiam invitavit, ut eam in matrimonium duceret. Post nuptias Antonius regiones donavit Cleopatrae et postea etiam liberis suis. Cum Octavianus has res audivisset, bellum contra Cleopatram et Antonium indixit. Quamquam classis Octaviani classe Antonii minor erat, naves eius celerrimae erant. Itaque classis Octaviani ad Actium adversarios vincit.

Cleopatra et Antonius Alexandriam fugerunt, at cum Octavianus quoque eo pervenisset, reliquae copiae Antonii et Cleopatrae cum copiis Octaviani coniunctae sunt. Aegyptus provincia Romana facta est et potestas Octaviani, imperatoris futuri, crescebat. Cleopatra discessit ab Antonio, ut Octavianum illiceret. Antonius, quia Cleopatram perisse credebat, mortem sibi consivit. Cleopatra, cum Octavianum illicere non potuisse et Antonium perire audivisset, ipsa quoque mori constituit. Ante mortem suam Octavianum oravit, ut se iuxta Antonium sepeliret. Tum haec regina regum aut altera Helena, ut appellabatur, ab angue morsa est. ♀



# DE MUNERIBUS SERVORUM

SCRIPSIT VALTHERUS FUCHS

**O**mnia - fere - de cultu civili Romanorum scire autem amus, de bellis gerendis, de re publica ac principatu, de moribus, poetis, philosophis, oratoribus, de religione... at quid de servis? Servi magnam partem machinarum nostrarum exercebant partes in antiquitate. Quidnam faceremus nos nostra aetate fluido electrico deficiente, autoraeda, tramine, calefactione centrali, televisione orbati?

Secundum definitionem *servus res erat, instrumentum*. Res, certe, sed res cogitans quoque, ideo ascensus socialis et intellectualis ei patebat - multis impedimentis praediudicatisque opinionibus obstantibus. Liceat mihi nonnullos tractare aspectus vitae servorum in antiquitate.



## SERVUS RES, INSTRUMENTUM

Ecce nos ante lapidem sepulcrale secundi p.C.n. saeculi ineuntis. In opere caelato familiam videmus cenantem cum servo, cum serva, cum cane. Talis repraesentatio ceneae funebris non a Romanis est excogitata, sed a Graecis in Graecia septentrionali et in Thracia, VIII et IX a.C.n. iam saeculis.

In marginibus illius operis caelati servum quendam videmus ac servam, qui tunc temporis et a Graecis et a Romanis semper tamquam nani repraesentabantur propter statum socialem: res erant, non personae, non sui iuris, instrumenta. Secundum Varronem tria exstabant instrumenta in orbe terrarum: instrumenta mutua (e.g. plaustra), instrumenta inexarticulata (e.g. iumenta, animalia), instrumenta articulata: servi.

Et quales erant fontes servitutis?

- abductiones a militibus Romanis pugna confecta;
- abductiones a piratis;
- infantes a parentibus pauperibus expositi;
- homines obaerati;
- infantes vernarum.

Milites hostium capti hominesque abducti sub iugumque missi a mercatoribus aut mangonibus emebantur navibusque in Italiam vehebantur, ubi in mercatu mancipiorum venibant sub corona, viri, feminae, pueri, puellae. Nonnumquam illa «praeda» inter milites Romanos distribui solebat: generatim bini servi unicuique militi Romano attribuebantur. Qui servi a militibus Romanis generatim bene tractari solebant. Post nonnullas autem septimanas tales servi militibus Romanis impedimento erant in praeda facienda. Praeda autem scopus erat maximi momenti in bellis gerendis, non solum apud duces legionum, sed etiam apud milites. Qua de causa illi milites «praedam» suam iterum vendiderunt mercatoribus aut mangonibus.

Graecissantes generatim pro muneribus domesticis emebantur, quia magnam partem Graece loqui valebant artiumque legendi ac scribendi erant periti beneque exculti. Tales servi servaeque *familiam* constituebant *urbanam*. Notio «familiae» in hoc contextu non designat matrimonium cuiusdam ingenui Romani cum ingenua, sed universalitatem omnium servorum


servarumque viventium ac laborantium in quadam urbe Romana, i.e. in convictu Romano urbano. Simili modo *familia rustica* omnes designabat servos servasque habitantes ac laborantes ruri, e.g. in latifundiis, praediis, ergastulis, minis, pistrinis, lapicidinis. Apertum est vitam hominum familiae urbanae longe iucundiores fuisse quam servorum familiae rusticae, qui maximam partem oriundi erant e Gallia, Germania, Britannia, Hispania, Asia,

et qui plus minusve «barbari» inculti habebantur.

Variae exstabant categoriae servorum: non solum urbanae ac rusticae, sed etiam servi publici, servi publici «allecti», servi Caesaris (i.e. imperatoris).

Quod attinet ad servos domesticos, i.e. familiae urbanae, alio loco referemus. \*

(sequetur)



## DE NOVIS LIBRIS


**Caelestis EICHENSEER, De itinere Graeco, Saraviponti, Societas Latina, 1997, 637 p.**

Data occasione itineris narrandi, quod auctor anno 1984 fecit in Graecia, nobis praebetur accuratissima descriptio Graeciae antiquae et modernae, Graecae geographiae, historiae, archaeologiae, condicionis politicae, plurimis allatis fontibus et testimoniosis. Eiusdem operis lectio insuper est vera institutio linguae Latinae: nam non solum hae 637 paginae eximia Latinitate D.ris Eichenseer, quam nemo est quin admiretur, conscriptae sunt, sed etiam longitudines vocalium persaepe indicantur, explicanturque multa verba et locutiones Latinae. Librum periegeticum de Graecia legere Latine scriptum: ecce summa cultus civilis nostri Europae!

Societas Latina, Universität, FR 6.3, D-66041 Saarbrücken.

**Mercedes GONZALEZ-HABA, Tacitus cattus, Saraviponti, Societas Latina, 1997, 58 p.**

Haec est lepidissima autobiographia catti cuiusdam fulvi, cui nomen est Tacitus. Qui Tacitus vitam suam cottidianam narrat modo suo peculiariter felino, qui risum legenti saepe movet. Non dubium, quin omnibus placeat, etiam discipulis. Facere non possumus, quin ad salivam vobis movendam textum satis longum inde excerpamus:



«Si sciatis, quas turbas vicini heri propter meras nugas dederint! In aedibus nobis propinquus habitat familia, quae avem habet, sed, quod non facile tibi persuadeas, ei suo arbitratu libere moveri non licet, secus ac nobis cattis et aliqua ex parte canibus, quibus quidem sine comitatu foras ire non licet, sed in aedibus saltem libere versari possunt. Avis autem quam dico utique conclusa est, in pulcherrima quidem cavea, sed cave neglegas, quanti momenti sit animal concludere, quod etiam volare possit. Quid multa? vi coacta misera in cavea manet, non pol necesse haberent pessulis caveae ianuam occludere, si illa sua sponte et voluntate ibi esset, ut ego in aedibus nostris. Di boni, hancin vitam, hoscin mores, hanc dementiam! homines, qui tam aspere atque inique avem tracent, me gravibus conviciis agitare audent, quod..., peccavi,

fateor, petulantius me gessi; animum attendite, aperte ita ut res sese habet, narrabo: dum ego ut soleo in vicinia ambulatum eo, venit in conspectum meum cavea xysti muro affixa; mirum, ni ego stupore percussus haereo: tam illa fulgebat, quam si tota aurea esset - tamen non ego in flammarum mittam manum, ut affirmem eam ex solido vel Philippeo auro factam, nam nobilium metallorum minus peritus sum. Sic igitur ego mecum cogitabam: 'Tacite', inquam, 'ecquid

recte oculis tuis vides an iam luscitosus factus? illic avis conclusa est. Quorsum eam miseram tam crudeliter in caveam coniecerunt? est haec fortasse regio venatica et insidias nescio quas ceteris avibus nescio quis molitur? Auceps fortasse sic eas allicere et omnes misere arripere vult. Deinde, quomodo dii volunt, curiositatis causa desiderio capior ingenti saltu in caveam scandendi, sed dicam vere ut res se habet, tantum speculari volui, nam, ut alia omittam, plumae nobis haud grato sapore, praeterea nec cupidi sumus nos alienis plumis ornandi, cui bono ergo, sed, quomodo dixi, id curiositate adductus feci etsi fateor me stulte egisse. Ecce autem...» (pp. 47-48)

Societas Latina, Universität, FR 6.3, D-66041 Saarbrücken.

**Ioannes GIRALDI, *Musis amicus, Mediolani, Pergamena, 1997, 135 p.***

Ioannes Giraldi, paleographista, a puero fuit et est linguae Latinae amantissimus. Utrumque scribendi genus, et solutum et poeticum, colit, sed versus imprimis libenter pangit hicque proponit operum suorum delectum: epigrammata, narrationes, epistulas, cogitationes, poemata e quibus hos versus vobis excerptsimus:

Vixi. Dilexeram cognationes:  
avos et avas, gnatos et nepotes,  
sorores, nures amabiliores;  
dilexeram puerulus in scholis

ludicis condiscipulos gemmantes,  
prima iuventa sodales furentes;

miles dilexeram commilitones,  
fervidior tamen nitidas puellas  
- auream Lunam praetuli sideribus -;  
vir nixus liquidam adoravi sponsam;  
colui unus nudae philosophiae  
ministros, doctae eros philologiae...  
(p. 84)

Pergamena, Viale Ezio, 7, I-20149 Milano.

**Harundine, Haiku dum ludo. Een bloemlezing van Latijnse haiku's, Lovanii, Aulos, 1998, 70 p.**

Iaponica forma poetica, quae «haiku» vocatur, plus quam 400 annos vetus, Europaeos ab initio huius saeculi paulatim allexit virtutibus peculiaribus. Nam in haiku fere nihil inest: 17 syllabae, tres versus, ludus verborum, fere nihil, ex quo nihilo aliquid est percipiendum, aliquid bucolicum, cogitatio, motus animi, saepe sensus tristis. In Flandria anno 1995 condita est societas haicubus Latine pangendis, cui nomen datum est «Harundine» (de hac re vide relationem Theodorici Sacré in Melissae fasciculo 75 p. 8). Eius sodales hoc libro sua proponunt poemata; duo hic praebemus, quae generis disciplinam bene ostendunt:

Tristitia  
facit circulos  
in piscina.

Haiku dum ludo  
obruttus negotiis  
repuerasco (p. 56)

«Kleio», K.U.Leuven, Blijde-Inkomststraat, 21, B-3000 Leuven.

**Genovefa IMME, Haïkai quotidiens. Haïcua cottidiana, Mazet St Voy, Tarmeye, 1998, 157 p.**

Nonne diximus haicua a nostratis magis magisque coli? Francogalla poetris Genovefa Immè idem scribendi genus elegit ad cantandum maritum perditum. Haec forma poetica, quamvis facilis videatur, re vera non est: nam sententia sive poema plenum non facile exprimitur 17 syllabis, itemque poetae, si regulam vult stricte sequi, anima Asiatica est etiam respicienda, quae proprios sensus non aperte dicit, sed verbis communibus pudenter celare solet.

Genovefae Immè haicua vere sunt cottidiana, cum 365 panixerit, tot, quot in anno sunt dies, ita ut Ninus cottidie acciperet nuntium amoris. Ecce duo ex his munusculis, ut ait poetris, marito datis:

Modo te spero  
Modo de te despero.  
Te semper amo. (p. 24)

Ut sol in nocte  
solitudinis lucet  
haec memoria. (p. 50)

Editions Tarmeye, F-43520 Mazet St Voy.

# LATINE LOQUI ...

## AESTIVA ROMAE LATINITAS

Octo hebdomades studiorum linguae perennis auctorumque 2000 annorum, cum excursionibus! **A die 8 m. Iunii in diem 1 m. Augusti a. 1998** in Ianiculo Romae, prope Sanctum Pancratium.

Qui participare cupiant scribant ad: Reginaldum Foster, Piazza S. Pancrazio 5 A - I-00152 Roma  
Tel. 0039-6 58 54 02 06, telecop. 0039-6 58 54 03 00

## IN AMERICA: DUO CONVENTICULA LATINA!

Duo Latine loquentium conventus anno 1998 Lexingtoniae in civitate Kentuckia habebuntur, quorum **primus a mensis Mai die 24 usque ad 31, alter a mensis Julii die 23 usque ad 31** celebrabitur.

Qui participare cupiant scribant ad: Terentium Tunberg - Department of Class. Languages,  
1015 Patterson Office Tower - University of Kentucky  
Lexington KY, U.S.A. (clatot@pop.uky.edu)

## LATINE LOQUI - ROMANE COQUERE

Haec Septimana Amoeneburgensis fiet in Hassia **a die 19 in diem 25 m. Julii a. 1998**.

Qui participare cupiant scribant ad: Thomam Gölzhäuser, Kleeberger Str. 40 - D-35510 Butzbach  
Tel. 0049-6033 16557

## FERIAE LATINAЕ

a P. Suitberto Siedl conditae fient:

- Tiniae in Carinthia **a die 25 m. Julii in diem 1 m. Augusti a. 1998**.

Qui participare cupiant scribant ad: Kath. Bildungsheim Sodalitas, A-9121 Tinje / Tainach

- Nicaeae ad litus Mediterraneum **a die 17 in diem 22 m. Augusti a. 1998**.

Qui participare cupiant scribant ad: Clementem Desessard, Résidence des Collines, C9,  
500 rue Leo Brun - F-06210 Mandelieu

## SEMINARIUM PRAGENSE

ab associatione c.n. L.V.P.A. (i.e. Latinitati Vivaе Provehendaе Associatio) institutum fiet **a die 31 m. Julii in diem 7 m. Augusti a. 1998**.

Qui participare cupiant scribant ad: Ingam Pessarra-Grimm, Nordstrasse 39, D-59174 Kamen  
Telephonum et telecopiatrum: 0049-23 07 15617

## SEMINARIUM LATINITATIS VIVAE HELVETICUM MORSACENSE

Morsaci in Helvetia, Dr P. Caelestis Eichenseer et D.rix Sigrides Albert participes scienter et delectabiliter inducunt ut Latine loquantur. **A die 2 in diem 8 m. Augusti a. 1998**.

Qui participare cupiant scribant ad: Societatem Latinam, Universität FR 6.3 - D-66041 Saarbrücken

## PROXIMUM SEMINARIUM BELGICUM FIET IN... HISPANIA!

Rogitantibus Hispanis Latinistis, iam diu agebatur de quodam seminario Latinitatis vivaе instituendo in Hispania. Quod usque adhuc variis de causis fieri non potuit, nunc autem iam instat fietque **a die 18 in diem 25 m. Augusti a. 1998**. Ibi frui licebit Latina institutione D.ris P. Caelestis Eichenseer, cui est huius rei diuturna et mirabilis experientia, et D.ricis S. Albert, quae tirones delectabiliter allicere solet ad colloquia Latina.

Qui participare cupiant scribant ad: Gaium Licoppe, Avenue de Tervueren 76, B-1040 Bruxelles

## LINGUA LATINA - SPECULUM EUROPAE MODERNAE

Hoc symposium Latinum III instituetur ab Academia scientiarum internationali Sanmarinensi, Arimini **a die 31 m. Augusti in diem 4 mensis Septembris a. 1998**. Thema erit «Lingua Latina - lingua internationalis».

Qui participare cupiant scribant ad: Veram Barandovská, Kleinenberger Weg 16 - D-33100 Paderborn  
tel. 0049-5251 163522, telecop. 0049-5251 163533